

ralibus & Provincialibus, congregatis disium volumus, eos gravissime obligari, ut ubi, & quando Religionem, Provinciam, vel conventum à primario Instituto, & Regulari disciplina deficere conspicunt, eam reformat, seu ad pristinum decorem, & Regularem disciplinam omnibus viribus per salutas constitutiones, & convenientia reducant media. Ad quem finem præcipue præ oculis haberi debet Bulla Clem. VIII. Nullus omnino ordine 9. in Bullat. Cherub. edita pro Reformatione quarumcunque Religionum; quæ Bulla de novo fuit confirmata ab Urbano VIII. in Constit. 28. apud Cherub. ubi legitur de Reformatione Religionum inter alios agit Pelliz. Tom. 1. tr. I. cap. 5.

## TITULUS XXXII.

## De Conversione Conjugatorum.

## SUMMARIUM.

- 1 Ratio continuationis.
- 2 Versio Conjugatorum quid? III.
- 3 Ante consummatum matrimonium potest quis Conjugem etiam invito Religionem ingredi.
- 4 Si unus ingreditur, potest alter post Professionem illius ad secunda vota transire.
- 5 Post contractum Matrimonium habet quis Conjugem bimestre ad deliberandum, an velit Religionem ingredi; nec tenetur reddere debitum.
- 6 Extenditur hoc bimestre: & quomodo?
- 7 Per copulam intra bimestre vi extortam non impeditur ingressus.
- 8 Nec consummatur Matrimonium.
- 9 Quid requiratur ad consummatum Matrimonium. Ibid.
- 10 Item est, si copula gravi metu incusso obtinetur.
- 11 Limitatur.
- 12 Exceptio non prodest, nisi opponatur? Ibid.
- 13 Post consummatum Matrimonium unus sine consensu alterius Religionem ingredi non potest. Et quid? si tamen ingreditur. Ibid.
- 14 Cum consensu alterius velle potest.
- 15 Requiritur tamen, ut & alter Religionem ingrediatur, si juvenis est, vel senex quidem, sed suspectus de incontinentia.
- 16 Si autem senex, & absque suspitione, sufficit, si in seculo manens Professionem emit.
- 17 Conjuges in seculo manens necessarius debet esse senex.
- 18 Quæ senectus requiratur? usque ad n. 19.
- 19 Fæminæ citius senescunt, & generare desunt quam viri.
- 20 Etas, & senectus, ubi non determinatur à Jure, decidit arbitrio Judicis.
- 21 Quas Regulas observare debeat in arbitrando Judex?
- 22 Insuper requiritur, ut remanens in seculo non sit suspectus de incontinentia.
- 23 Et ut perpetuam continentiam voveat.
- 24 Licentia Episcopi ad validum ingressum de Jure communi non requiritur, bene tamen ad licitum.
- 25 Professio Conjugis sine recensitis requisitis facta, quamvis sit illicita, tamen valet, dummodo ad sit consensu alterius Conjugis.
- 26 Si remanens in seculo perpetuam castitatem non voverit, potest, & debet Professus iterum revocari.

- 24 Secus si voverit.
- 25 An, & quando Conjuges juvenis altero proficiente remanens in seculo, & castitatem vovens compellendus sit ad ingrediendam Religionem?
- 26 Si unus Conjugum adulterium commisit, potest eo invito alter Religionem ingredi.
- 27 Etiam propriâ auctoritate.
- 28 Si adulterium est publicum.
- 29 Pars innocens post alterius adulterium, si ei cohabitavit, vel etiam adulteratur, eo invito Religionem intrare non potest. Patria delicta mutua compensatione tolluntur. Ibid.
- 30 An, si pars innocens Religionem ingredi nolit, possit, & debeat adultera ingredi? Et num. seq.
- 31 Potest pars adultera ingredi Religionem, si innocens tacite vel expressè consensit.
- 32 Uno adulterante, potest innocens etiam in seculo Ordines recipere. Et n. seq.
- 33 Uno spiritualiter adulterante, alter separatione per Episcopum factâ Religionem ingredi potest.

Experientia constat, etiam Conjugatos futuri de Religionem ingredi attentare: quia verò de horum ingressu speciales sunt difficultates, hinc Compiler Canonum post Lit. de Regular. specialem ponit Titulum de Conversione, seu ingressu Conjugatorum in Religionem. Ad propositum enim per Conversionem Conjugatorum aliud non intelligitur, quam ingressus eorumdem in Religionem.

Queritur I. An, & quando Conjuges ingredi possint Religionem? Resp. I. Post Matrimonium ritè contractum, sed nondum consummatum semper licitum cuius Conjugum, etiam invito Religionem intrare. Omnes, textu claro, c. 2. h. t. ibi: Post consensum legitimum de presenti, licitum est alteri altero etiam repugnante eligere Monasterium (sicut sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt) dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos. Concordat c. 7. eod.

Si tamen unus Religionem ingrediatur, alteri remanenti in seculo licitum est ad secunda vota transire, seu cum alio matrimonio contrahere, ut expressè statuitur cit. c. 2. h. t. ita tamen, ut expectet, donec anno Novitatis finito, sicut Conjuges Professionem emittat; quòd Matrimonium ratum non statim nudo ingressu, sed primum per subsequentem Professionem dissolvatur, ut concedunt Omnes, patetque ex Concilio Tridentino Sess. 24. can. 6. ibi: Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem Religionis Professionem non dirimi, anathema sit.

Resp. II. Post contractum Matrimonium conceditur cuius Conjugum bimestre ad deliberandum, an in conjugio manere, vel ad Religionem transire velit? per textum c. Ex publico. 7. h. t. ibi: Mandamus, quatenus si vir ipsam carnaliter non cognoverit, & eadem ad Religionem transire voluerit, recepta ab ea sufficienti cautione &c. vel ad Religionem transire, vel ad virum suum redire, intra duorum mensium spatium debeat. Hinc intra bimestre uxor viro, & reciprocè hic illi debitum conjugale reddere non tenetur. Imò potest, si vult, intermedio illo tempore à viro abesse, arg. cit. c. 7. h. t. dummodo sufficientem cautionem præstet, quòd intra duos menses vel Religionem ingredi, vel ad Conjugem redire velit, ut patet legenti textum. Et licet aliàs per sufficientem cautionem intelligitur ea, quæ fit datis fidejussoribus vel pignoribus, l. Si man-

mandato. §. fin. ff. Mandati, tamen in hoc casu sufficit juratoria, si Conjuges aliam præstare nequit. Abbas in cit. c. 7. h. t. num. 11. & ibid. Fagnanus nu. 10. arg. c. Per vestras 7. de Donat. inter virum & uxorem.

Quòd si vir absque cautione uxorem intactam relinquat, & matrimonium non consummet, potest etiam post bimestre, imò post annum adhuc Religionem ingredi. Ratio est, quia tempus bimestre computatur à die præfixa à Judice termini, & præstite cautionis, uti aperte colligitur ex cit. c. 7. h. t. & docet ibi Glossa v. Intra duorum. Fagnanus ibid. nu. 26. eòque teste, Canonistæ omnes. Inferitur, quòd etiam post bimestre uxor debitum reculare possit, & dicere, ego volo intrare Religionem, & hoc tam diu continuare, donec ei præstatur terminus, vel ipsa uxorem cautionem præstet: hæc enim præstata, vel intra duos menses Religionem intrare, vel debitum conjugum reddere debet.

Resp. III. Si intra bimestre à Jure concessum vir ab uxore copulam vi obtinet, potest uxor adhuc ingredi Religionem, saltem in casu, quo vim inferre nitenti excipiendo manifestaverit, se velle ingredi Religionem, aut circa hoc adhuc in deliberatione esse. Glossa in can. fin. v. Invisus dist. 55. Fagnanus in c. 7. h. t. à n. 27. Abbas in c. 2. h. t. n. 9. Sanchez lib. 2. de Matrim. Disp. 22. nu. 6. Joan. Andreas in c. Quæ contra jus de R. I. in 6. Pirhing h. t. num. 66. cum communiori & probabiliori aliorum, contra Zoëcium h. t. n. 13. Sylvestrum v. Luxuria. q. 6. & nonnullos alios. Ratio est: tum quia sine culpa nemo debet privari suo jure, c. Discretionem. 6. ad fin. de Eo qui cognovit. Tum quia talis maritus injuriam infert uxori, & iniquè agit, c. Ex publico. 7. h. t. nemo autem ex iniquitate sua debet commodum reportare, c. Ad nostram. de Emption. & vendit. c. Tus de Clericis non resident. cum Concordantibus. Tum quia indultam mulieri à Jure beneficium, dissentienti non est auferendum. c. Indultum. de R. I. in 6.

Nec dicas cum Adversariis, mediante copulâ etiam violentâ virum & uxorem fieri unam carnem, & consummari Matrimonium, consequenter nulli amplius liberum esse, altero invito Religionem intrare, arg. c. Ex publico. 7. h. t. Nam contra est: tum quia non quævis injuriosa, sed solùm legitima consummatio matrimonii impedit ingressum in Religionem, per Jura & rationis num. præced. allegatas. Tum quia per copulam carnalem vi extortam matrimonium penitus non consummatur; quia matrimonium consummatum representat unionem Christi cum Ecclesia, & sortitur Jure Divino indissolubilitatem, can. Deinde. dist. 26. can. Cum societas. cau. 27. q. 2. & c. Debitum. de Bigam. ergo per eam solam copulam consummatur, quæ potest hanc unionem representare; cum omne, quòd est alterius signum, debeat illi esse simile, arg. can. Signum est. & can. Species de Consecrat. dist. 2. sed talis est sola copula voluntaria, cum unio Christi voluntaria fuerit, juxta communem Theologorum. Confirmatur: vis impedit consummationem matrimonii spiritualis, arg. can. de Judicis. dist. 45. & c. Majores. de Baptism. ergo multò magis impedit consummationem matrimonii carnalis, in quo cessare debet omnis coactio, c. Cum locum de Sponsal. Hinc duo requiruntur ad consummationem matrimonii, consensus videlicet animorum, & conjunctio corporum, quæ firmat, & perficit, can. In omni. 36. cau. 27. qu. 2. Accedit, quòd si uxor ab alio viro opprimeretur, hoc ei vir impatere, vel propterea eam privilegio aliquo privatam esse, inferre non posset, l. Vini passim. ff. ad Legem Juliam,

de Adulter. ergo multò minus imputare ei debet, quando ipse injuriam infert.

Et quòd diximus de copula vi extorta, intelligendum est etiam de copula per metum injustè incullum obtenta. Sanchez 2. lo. cit. n. 12. & alii contra Fagnanum lo. cit. n. 45. Ratio est, quia omnes rationes & Jura contra vim allegata, à potiori etiam quadrant contra metum gravem injustè incullum, cum, ut consideranti patet, aliàs vir ex iniquitate reportaret commodum; & mulier absque propria culpa privaretur privilegio. Præterquam quòd etiam copula per injustum metum obtenta non representet unionem Christi cum Ecclesia, utpote perfectè voluntariam; ac insuper metus gravis injustè, & casus impedit consummationem matrimonii spiritualis: ergo & carnalis &c.

Cæterum rectè limitat Conclusionem Fagnanus lo. cit. nu. 33. & 34. in casu, quo uxor vim patiens de ingressu in Religionem nihil dicit, sed absolute tenuit consummare Matrimonium, vel aliam causam allegat. Ratio est; quia vir matrimonio into statim acquirit jus in corpus mulieris, v. l. Corin. h. 7. solo excepto casu, quo uxor cogit, vel deliberat intrare Religionem; ergo si renitens, hanc causam non allegat, sed aliam, vel nullam, vir utitur jure suo, consequenter eidem injuriam non infert, sicut non infert, si post tempus à Jure ad deliberandum concessum, per vim extorquet copulam. Nec obstat, quòd uxor intra bimestre habeat vim excipiendi; quia regulariter loquendo, exceptio non prodest, nisi opponatur, Inst. de Except. per tot. & notat Bartolus in l. Eum qui. §. Qui ita. ff. de V. O.

Queritur II. An, & quando Conjuges intrare possint Religionem post matrimonium consummatum? Resp. I. Post consummatum matrimonium nullus Conjuges potest sine consensu alterius Religionem intrare, bene tamen cum consensu alterius, si requisita adimpleantur conditiones. Unanimis ac certa, claris Juribus. Et quidem prima pars, quòd sine consensu unius alter intrare nequeat, patet ex c. Quidam. 3. h. t. ubi vir invitâ uxore Religionem professus, jubetur ad uxorem redire, & declaratur Professio nulla, adeò, ut nec mortuâ uxore ad Religionem redire teneatur. Additur tamen, quòd mortuâ uxore aliam ducere non possit; neque petere debitum ab uxore vivente, quòd idem statuitur c. Placet. 12. eod. Ratio subjungitur cit. c. 3. h. t. illis verbis: Promisit enim se non exigere debitum, quòd in ejus potestate erat, & idcirco quoad hoc votum tenuit; non reddere autem non erat in ejus sed mulieris potestate. Quæ ratio aliis verbis etiam habetur cit. c. Placet. 12. eod. Inferitur proin Professioem Conjugis post consummatum matrimonium altero invito factam non carere omni effectu, cum saltem hoc efficiat, quòd talis inutiliter professus ab uxore non amplius petere debitum possit, licet ei id reddere teneatur; & mortuâ uxore alteri nubere non amplius valeat.

Secunda pars Conclusionis, videlicet, quòd cum consensu alterius unus Conjuges Religionem ingredi, & ibi profiteri valeat; clare patet ex c. 1. & pluribus aliis h. t. Additur autem dummodo requisitæ adimpleantur conditiones. Nam

Resp. II. Ad hoc, ut Conjuges post consummatum matrimonium Religionem ingredi, atque in ea validè, simul & licitè profiteri valeat, præter consensum alterius necessarius requiritur, ut etiam alter Conjuges Religionem ingrediatur, si adhuc est juvenis, vel senex quidem sed non absque periculo incontinentiæ. Fagnanus in c. Cum sis. 4. h. t. à nu. 7. continet. Fagnanus in c. Cum sis. 4. h. t. à nu. 7. & ibi Abbas num. 1. Ancharanus, Joan. Andreas, Pirhing h. t. nu. 6. Sanchez lib. 7. de Matrim. Disp. 32. nu. 1. dicens Conclusionem esse certissimam, & Commu-

Communem aliorum, textu claro *can. Sunt qui*, 19. *Et can. Agathusa*, 21. *cau. 27. q. 2. c. Cum sis*, 4. *h. t. ibi: Prohibemus, ne virum, vel uxorem ( nisi uterque ad Religionem migraverit) transire permittas. Verum si ita uxor senex est, & sterilis, quod sine suspitione possit esse in saeculo, dissimulare poteris, ut ea in saeculo remanente & castitatem promittente, ad Religionem transeat vir ejusdem.* Concordat *c. Uxoratus*, 8. *Et c. Ad Apostolicam*, 13. *ead. ibi: Non potest una pars converti ad Dominum (ingrediendo Religionem) & altera in saeculo remanere, profecto non est alter Conjugum recipiendus ad observantiam Regularem, nisi reliquis perpetuam continentiam repromittat, sed & vitam debet mutare: nisi forte sit ejus aetatis, ut sine suspitione incontinentiae valeat in saeculo remanere.* Neque sufficit, ut simpliciter ingrediatur, ibique maneat, sed debet etiam ibidem profiteri, ut bene observat Abbas in *c. Uxoratus*, *h. t. n. 3.* Sanchez *lo. cit. n. 4.* & alii Doctores citati; quia proprie non dicitur transire ad Religionem, neque converti (quod tamen Jura citata requirunt) nisi proficiatur in eadem.

13 Resp. III. Si autem unus Conjug est senex, simulque ita constitutus, ut nulla de eo prudens haberi possit incontinentiae suspicio, insuper perpetuum continentiae votum emittere sit paratus, potest ipso manente in saeculo, de ejus licentia alter Religionem intrare, ibique valide ac licite profiteri. Omnes, caeteraque controversia, ob clarum dispositionem Canonum *num. praeced.* allegatorum. Ex quo inferitur quatuor copulativè requiri ad hoc, ut unus Conjug altero manente in saeculo Religionem intrare possit. I. Consensus alterius uxoris, *c. 2. h. t.*

14 II. Ut Conjug in saeculo remanere volens sit senex, *c. 4. h. t. ibi: Si ita senex est, & c. 13. ibi: Nisi forte sit ejus aetatis & c.* ut proin Conjug juvenis, quantumvis à suspitione & periculo incontinentiae ob optimos mores sit aliena, in saeculo manere non possit, sed necessariò etiam Religionem ingredi debeat, ad hoc, ut ejus compar licitè & validè ingredi & profiteri valeat, ut bene advertit Fagnanus *lo. cit. nu. 10.* Abbas in *c. Conjugatus*, *5. h. t. n. 4.* & alii. Ratio est; quia Conjug juvenis copula priùs afflueta non potest esse sine suspitione & periculo incontinentiae; hoc ipso quòd juvenis semper exposita sit variis incontinentiae casibus, *arg. can. Episcopus*, *dist. 77.* praesertim si carnali conjunctioni priùs erat afflueta, uti in casu nostro, ad hoc praecipuè in mulieribus, quia mulier semper volubilis est ut rota. Butr. in *cit. c. Conjugatus*, *5. h. t.*

15 Quanta autem senectus requiratur ad hoc, ut uno Conjug Religionem intrante, alter in saeculo remanere valeat, non est eadem DD sententia. Sotus siquidem relatus à Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 32. n. 15.* docet, Conjugem ad propositum reputari senem, si est sexagenarius, *arg. can. Juvenulus*, *cau. 20. quest. 1.* *Et can. Quomodo*, *cau. 31. qu. 1.* ubi additur etiam illud Apostoli 1. ad Timoth. 5. *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum.* Accedit, quòd anno sexagesimo juxta communem Theologorum apud Sanchez *lo. cit.* quivis excusetur à jejunio.

16 Sanchez verò *lo. cit.* merito dicit non eandem esse habendam rationem in feminis quàm in viris; quia femine sicut citius pubescunt, ita citius senescunt quàm viri, ad hoc, ut periculum incontinentiae in eis cessare dicatur, eò quòd in eis calor naturalis, qui est libidinis incentivum & potissima causa, ut late demonstrat Tirac. *l. 9. Connubii*, *nu. 150.* & seqq. citius deficiat, quàm in viris, sicutque ex natura frigidiore viris. Hinc putat, feminam ad propositum satis esse senem, si est quinquage-

naria; virum verò si est sexagenarius, eò quòd ordinariè loquendo feminae post annum quinquagesimum ratione aetatis sterile esse incipiunt, & generare desinant, adeò ut rarum & admirabile dicatur in Jure, si uxor post quinquagesimum annum adhuc generat. *l. Si major*, 12. *C. de Legit. hered. viri* autem anno sexagesimo acquirat generandi finem, ita ut partus postea eveniens accidenti potius quàm naturae adscribendus sit, *arg. l. Si patrum familias*, *§. ff. de Adopt.*

Verum Fagnanus in *cit. c. Cum sis*, *4. h. t.* ad longum refutat utramque opinionem cum eandem fundamentis, & dicit, relinquendum esse arbitrio Judicis, quis ad propositum sufficienter dicatur senex, eò quòd juxta opinionem Innocentii communiter receptam in *c. Quoniam frequenter*, *n. 3.* *Ut lite non contest.* in casibus, in quibus nulla certa aetas determinatur à Jure, sicut arbitrio Judicis, quis dicendus sit senex; circa regulandum autem hoc judicium conveniunt Doctores primò ante annum quinquagesimum neminem appellari posse senem, Fagnanus *lo. cit. n. 22.* Conveniunt secundò post annum septuagesimum quemvis dici posse senem, Abbas in *cit. c. Quoniam*, *nu. 18.* *Ut lite non contest.* ita ut arbitrium Judicis praesens locum habeat à quinquagesimo usque ad septuagesimum annum. Ante quinquagesimum enim certum est absque Judicis arbitrio nullum dici senem: & post septuagesimum sine ullo arbitrio quivis habetur pro senè, quia post septuagesimum annum aetas in quovis habetur pro deplorata, debetque quivis quantumvis bene complexatus in ea aetate mortem timere. Albert. in *Dist. v. Senem.*

Intermedio itaque à quinquagesimo usque ad septuagesimum annum tempore arbitratrur Index (Episcopus videlicet *arg. c. Cum sis*, *4. h. t.*) an Conjug in tali existat senectute, ut sterilis, id est, ad generandum inhabilis sit, non ex natura, sed ratione aetatis; talis enim aetas necessariò requiritur, eò quòd ubi ratioe aetatis potentia generandi cessat, etiam calor naturalis, incontinentiae incentivum deficiere, consequenter periculum ad suspitionem incontinentiae abesse praesumitur, *cit. c. Cum sis*, *4. h. t. ibi: Si ita senex est & sterilis, quod sine suspitione possit esse in saeculo.* Sanchez *lo. cit. n. 16.* Fagnanus *loc. cit. & alii.* In arbitrando autem non eandem quidem rationem de viris & feminis habere, sed minorem aetatem in his quàm illis pro sufficienti judicare debet, ut bene docet cum aliis Sanchez *lo. cit.* Non tamen in quavis femina annuata quinquagesimum, nec in quovis viro sexagesimum pro sufficienti aetate ad manendum in saeculo judicare poterit, uti vult Sanchez *loc. cit.* sed priùs attendere etiam debet ad robur & temperamentum corporis, ad qualitatem Religionis & c. ut rectè docet Fagnanus *loc. cit.* eò quòd ob has & similes circumstantias non raro feminae quinquaginta & aliquot annorum magis sint vegetae, magisque habiles ad generandum, quàm nonnullae feminae in quadragesimo: Pariter etiam viri plures post sexagesimum adhuc plus robusti & habiles sunt, quàm alii post quinquagesimum. Consideratis ergo hujusmodi circumstantiis primùm judicabit, an mulier post quinquagesimum annum, vel vir post sexagesimum annum sit ita senex, ut sit sterilis, pro quo etiam adhibere poterit judicium Medicorum, prout amplius remonstrat Fagnanus *lo. cit.*

III. Requiritur, ut non sit suspectus de periculo incontinentiae ratione morum, *c. Uxoratus*, *§. h. t. ibi: Que integrae opinionis ita existat, ut nulla suspicio habeatur, quòd minus continenter debeat vivere.* & infra, *Si autem talis fuerit, que suspitione non careat, voto continentiae celebrato à secularium homi-*

hominum se conversione removeat. Hinc est senex & sterilis ratione aetatis sit, nihilominus, si constat, eum incontinentiae esse debitum, vel in hoc vitio suspectum esse, non potest, altero Religionem intrante, in saeculo manere, sed debet & ipse iotrare, uti bene docet Fagnanus in *c. Cum sis*, *4. h. t. n. 9.* Pihing *h. t. n. 6.* Innocentius in *c. Significavit*, *h. t. & alii.*

20 IV. Requiritur, ut perpetuum votum continentiae emittat. Omnes, textu claro *c. Cum sis*, *4. h. t. ibi: Ut constantem promittens, & c. Ad Apostolicam*, *13. h. t. ibi: Nisi perpetuam continentiam repromittat.* Concordat *c. Significavit*, *ead. & alii Canones.*

21 Caeterùm de Jure communi licentia Episcopi non requiritur ad hoc, ut unus Conjug de consensu alterius intret Religionem, ibique valide proficiatur. Abbas in *c. 1. h. t. Glo. in cau. Si vir*, *23. cau. 27. q. 2.* Sanchez de *Matrim. lib. 7. disp. 32. n. 1.* & communis aliorum, *arg. c. 1. h. t. ubi Professio* Conjugis ignorante Episcopo facta censetur valida. Verùm ut licite sit Conjugis Professio, licentia Episcopi videtur necessaria, *cau. Si vir*, *23. cau. 27. q. 2. ibi: Si vir & uxor diverer pro sola Religiosa inter se consenserint, nullatenus sine licentia Episcopi fiat.* Glo. in *c. 1. h. t. v. Revocari*, *Layman lib. 5. v. 10. p. 3. cap. 7. n. 3.* Ratio est; quia per talem ingressum fit sextatio quoad thorum, haec autem sine licentia Episcopi fieri universaliter prohibetur, *can. Mulierum*, *10. cau. 35. q. 6.* Porò ad Episcopum pertinet judicare, an aliquis Conjug sit ita senex, ut à suspitione incontinentiae in natis sit, quòd altero Religionem intrante manere possit in saeculo, voto castitatis emisso, textu claro *c. Cum sis*, *4. h. t. Layman lo. cit. n. 3.*

22 Resp. III. Licet illicitè agat, & peccet Conjug, si non adhibitis conditionibus enarratis Religionem ingrediatur, ibique Professionem emittat, per Jura citata, nihilominus valida erit talis Professio, dummodò cum consensu uxoris fuerit facta. Glo. in *c. Ex parte*, *v. de Jure*, *h. t. Abbas ibid. n. 2. §. 5.* & alii, *arg. can. Agathusa*, *21. cau. 27. q. 2. & c. Ex parte*, *h. t. ubi dum vir sine debitis conditionibus, cum licentia tamen uxoris Religionem professus, & revocante uxore iterum egressus, mortuò à se alteri naberet, matrimonium fuit declaratum nullum, & vir compellitur Religionem priorem intrare, quòd fieri non potuisset, si Professio ejusdem valida non fuisset. Accedit, quòd Professio sine aliqua ex conditionibus cum licentia tamen uxoris facta nullibi in Jure irritetur.*

23 Notandum tamen quòd si unus Conjugum cum consensu alterius proficiatur, & alter in saeculo manens perpetuam castitatem non voveat, Professus ad uxorem per Episcopum iterum revocari possit, & debeat; uti expresse statuit *c. 1. h. t.* & tenent hic Doctores communiter. Revocari autem debetum petere non potest, ob dicta supra *n. 10.* Retinere tamen tenetur, idque petere alteri Religionem non ingresso licet, alias enim frustra revocaretur.

24 Si verò pars remanens in saeculo vovit castitatem, Professus revocari amplius non potest, sive dein remanens in saeculo sit juvenis, sive senex, sive suspecta, sive non Fagnanus in *c. 1. h. t.* & ibi Hostiensis, Abbas *n. 8.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. Disp. 33. n. 9.* & communis aliorum, *arg. c. 1. h. t. ubi ad hoc, quòd Professio Conjugis de licentia alterius facta irrevocabiliè valeat, divisivè solum requiritur, ut alter Conjug vel ad Religionem transierit, vel perpetuam continentiam voverit, nec distinguit inter senem vel juvenem; ergo si perpetuò vovit Professus revocari amplius non poterit, sive juvenis, sive*

senex, aut suspecta; cum ubi Jus non distinguit, nec nos distinguere debeamus, *l. de Praeio*, *§. Public.* in *regul.*

Conveniunt etiam DD citati, quòd si ex talibus casu pars remanens in saeculo sit juvenis, aut suspecta, per Episcopum compelli debeat, ut & ipsa Religionem ingrediatur, *arg. c. Significavit*, *18. h. t.* Nam autem ibidem etiam profiteri, an solummodò inclusa manere debeat, ad vitandas evagationes, & pericula incontinentiae, disconveniunt: sed videtur cum distinctione respondendum: videlicet, si remanens in saeculo juvenis, aut suspecta fuit concilia Juris, quòd dans licentiam & ipsa profiteri debeat, *arg. can. Qui Uxorem*, *10. cau. 33. q. 5.* compellenda erit non tantum ut ingrediat, sed & profiteatur ibidem, *arg. cit. cau. Qui Uxorem*, *§. c. Significavit*, *38. h. t.* Ratio est; quia censetur ad id ita se obligasse. Si verò fuit Juris ignara, erit tantum compellenda ad manendum in Monasterio, non verò ad profitemdum, cum nec tacite nec expresse ad id se obligaverit, nec consensum praestitit: nam sicut nemo praesens cogitur ordinari, *arg. c. Queris de Aetate & qual.* ita nemo praesens cogitur profiteri, *can. Integratus*, *32. q. 1.* & haec distinctio placet Abbati in *c. 1. h. t. n. 8.* & ibi Fagnanus *n. 4.* ad *firmam* Sanchez *lo. cit. n. 27.* Pihing *h. t. n. 13.* & aliis. Id quòd Jura de Conversione Conjugatorum ordinatum habent, expresse etiam continentur in Regula nostra à Christo dictata *cap. 2.* illis verbis, *ibi: Si qui voluerint hanc vitam accipere & c. Uxoribus habeant. Et jam Monasterium intraverint uxores, vel licentiam eis dederint, auctoritate Divina Episcopi, voto continentiae jam emisso, & illius sint aetatis uxores, quòd non possit de eis oriri suspicio.*

Quaeritur, An, & quomodo Conjuges Religio-nem intrare, vel etiam Ordines suscipere valeant, casu quo unus eorum committit adulterium carnale, vel spirituale labendo in haerem, vel infidelitatem? Resp. I. Si unus Conjug adulterium carnale committit, potest pars innocens etiam invito adultero Religionem intrare, ibique irrevocabiliè profiteri, ita ut ab altera parte etiam emendatè revocari non amplius possit Abbas in *c. Constitutus*, *15. h. t. n. 1.* & ibi Barbosa, Anchoranus, Sanchez *lib. 10. de Matrim. disp. 11.* cum communis & certa aliorum, *arg. cit. c. Constitutus*, *15. & c. Veniens*, *16. h. t. jacto cau. Agathusa*, *21. cau. 27. q. 2.* & *can. 2. cau. 32. q. 1.* Ratio est; quia Conjug à altero in saeculo perdit omne jus conjugale, *c. 4. de Divort.* quòd solum obstatulum esset ingressui in Religionem. Nec requiruntur ad talem ingressum conditiones suprà enarratae; quia ut bene advertit Pihing *h. t. n. 35.* Sanchez *Disp. 10. n. 15.* ea tantum necessariae sunt in casu illius matrimonii, ubi quaevis pars jura conjugalia salva possidet.

Et quidem si adulterium publicum est & notorium, potest pars innocens propria auctoritate, non expresse, sed sententià Divortii Religionem ingredi. Abbas in *c. Constitutus*, *15. h. t. n. 4.* & ibi Barbosa *n. 2.* Sanchez *lo. cit. n. 5.* & 10. Pihing *h. t. n. 35.* Sylvester *v. Divortium*, *q. 23. dist. 2.* Vallensis *h. t. n. 5. arg. cit. c. Constitutus*, *h. t.* Ratio est; quia licet alias Divortium viri & mulieris sine licentia Episcopi fieri non possit, *arg. can. Mulierum*, *10. cau. 35. q. 6.* tamen limitatur hoc in casu, quo unus adulterium commisit; tunc enim pars innocens facultatem propria auctoritate dimittendi partem adulteram habet à Lege Divina, *Manh. 19.* & humana *cit. c. Constitutus*, & adhuc clarè, *can. Dixit Dominus*, *2. cau. 32. q. 1. ibi: Ubique fornicatio est, liberè uxor dimittitur: & amplius demonstrat Glo. in c. fin. de Adulter. v. Forn. cationis, & ibi Abbas praecipue ob rationem in Conclusione datam.*

Secus est, si adulterium adhuc est occultum &

... tunc debet expectare sententiam Divortii. Sanchez lo. cit. n. 5. & Disp. 12. Pirhing h. t. n. 35. & communis aliorum. Hinc si absque tali sententia Religionem intrat, in foro externo restitui debet adultero, non obstante exceptione adulterii, prout teste Sanchez lo. cit. n. 5. tenent omnes, arg. c. Item cum quis de Relit. spoliat.

29 Limitatur Conclusio n. 26. posita. I. Casu, quo pars innocens post habitam notitiam adulterii alterius tamen adultero cohabitaret, eique reddat, vel ab ipso petat debitum, nisi id faceret ex mandato Ecclesie. Glossa in cit. c. fin. de Adult. v. Fornicationis. Vallenis h. t. n. 5. cum communi. Ratio est, quia censetur eidem reconciliatus remisit injuriam, arg. cau. 1. 2. & 3. cau. 32. q. 1. & l. Si uxore. s. fin. ff. de Adult. II. Si etiam ipse adulterium committit. Vallenis lo. cit. Ratio est; quia paria delicta mutua compensatione tolluntur. c. fin. de Adult. & ibi Glossa communiter recepta.

30 Resp. H. Si pars innocens Religionem non ingreditur, sed in saeculo manens adulteram partem a se repellit, non potest hac sine licentia illius Religionem ingredi. Glossa in c. Ex litteris. v. Redire, de Divort. Sylvester v. Divortium. q. 10. Sanchez de Matrim. lib. 10. Disp. 10. n. 12. & 13. D. Bonaventura in 4. dist. 35. q. 5. Pirhing h. t. n. 35. Layman lib. 5. t. 10. p. 3. cap. 7. n. 11. & alii contra nonnullos alios a Sanchez lo. cit. num. 11. citatos. Ratio est; quia Coniux innocens habet jus injuriam condonandi adulterae parti, eamque ad thalamum revocandi, prout ex Jure, rationibus, & copiosa Doctorum autoritate demonstrat Sanchez lib. 10. de Matrim. Disp. 10. n. 3. & seq. quo jure invitus privari non potest.

31 Notandum tamen, quod etsi pars innocens adulteram nec recipere, nec statim licentiam ad profitendam Religionem dare teneatur, arg. c. Gaudemus. 19. h. t. tamen laudabiliter faciat, si propter Deum iterum recipiat, & ut faciat, ab Episcopo diligenter moneri debeat: quod si pars innocens post repetitas Episcopi monitiones, vel exhortationes nocentem recipere recusat, debet ab Episcopo in Monasterium detradi ad agendam ibi poenitentiam, textu claro, cit. c. 10. h. t. in quo etiam profiteri poterit, saltem post biennium, si eam verè emendatam, post repetitas monitiones recipere nolit pars innocens. Barbosa in cit. c. 19. h. t. & ibi Joan. Andreas n. 3. An. horanus n. 2. Sanchez lib. 10. de Matrim. Disp. 19. n. 16. Pirhing. h. t. n. 37. arg. Athen. Sed hodie. C. ad Leg. Jul. de Adult. Ratio est; quia si quis aliquoties monitus post biennium adhuc recusat recipere emendatam, censetur vel tacite dare licentiam, vel irrationabiliter negare, uti notant Doctores citati.

32 Resp. III. Si pars innocens nocenti adulterae tacite, vel expresse dat licentiam Religionem profitendi, vel Ordines suscipiendi, potest nocens hac licentia licite & valide uti, etsi pars innocens adhuc sit juvenis, & in saeculo manens, votum continentiae non emitat. Sanchez lo. cit. n. 15. Pirhing lo. cit. n. 35. & alii. Fundamentum ac ratio est, quam supra allegavimus n. 26. Pariter potest pars adultera Religionem ingredi, & in ea profiteri etiam incia & invita parte innocente, si hæc prius Religionem proficitur. Communis ac certa. Ratio patet; quia quando pars innocens Professionem emittit, incapax est revocandi partem nocentem, & eidem conjugali jure cohabitandi; quod solum aliis Professionis obstaculum esse potest.

33 Resp. IV. Quodcumque vir ob adulterium uxoris ea invita potest Religionem ingredi, potest etiam Ordines sacros in saeculo quoque manens accipere; dummodo aliud non obstat impedimentum, ita con-

tra Innocentium in c. Veniens. h. t. & ibi Joan. Andr. n. 4. Hostiens. n. 8. & 9. & alios docet Glossa in c. Constitutus. h. t. v. Ad gradum. Abbas ibid. n. 4. Navarrus lib. 4. de Sponsal. consil. 23. n. 6. Sylvester v. Divortium. q. 17. n. 20. Sanchez lib. 10. de Matrim. Disp. 11. n. 16. Pirhing h. t. n. 34. cum communi & probabiliori aliorum, arg. cit. c. Constitutus. 15. h. t. Ratio est; quia postquam mulier adultera totum suum amittit jus ad vitam, non est major ratio, cur ea invita possit vir profiteri Religionem, & non in saeculo Ordines suscipere.

Nec dicas disparitatem esse, quod uxor adultera post mortem viri Religionem professi possit alteri nubere, non item post mortem viri Ordinibus ordinati, can. Quia sunt. 10. dist. 28. & can. Seriatim. 14. dist. 32. Nec contra est, quod Canones illi loquantur de casu, quo vir de licentia uxoris integrè suscipit sacros Ordines, & non de casu, quo uxore existente adultera didos Ordines suscipit, uti bene advertit Abbas lo. cit. Ratio diversitatis est; quia in primo casu mulier innocens contentiendi ad Ordinationem, censetur se obligare ad continentiam, non autem sic in casu adulterii.

Resp. V. Etiam propter adulterium spirituale, si nempe una pars Coniugum in heresim labatur, vel apostasiam a fide committat potest pars in fide verè remanens, parte spiritualiter adulterante invitè Religionem ingredi, vel sacros Ordines suscipere, etiam postquam ad fidem veram iterum rediit pars adulterans, dummodo separatio ob adulterium spirituale autoritate Ecclesie, & non propria autoritate fiat. Glossa in c. fin. h. t. Pirhing h. t. n. 39. & 40. cum communi aliorum textu claro c. fin. h. t. ibi: Mulier, quae in fide permansit, potest nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo judicio Ecclesie fuerat separata, ad Religionem liberè convolare. & c. De illa. 6. de Divort. ibi: De illa, quae viro suo labente in heresim, ipsius consortium sine judicio Ecclesie declinavit, videtur nobis, quod mulier &c. ei, cum conversus fuerit, est reddenda, quae etiam si reveriti noluerit, compellatur: si verò judicio Ecclesie ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam.

TITULUS XXXIII.

De Conversione Infidelium.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio continuationis. Converso Infidelium quid? Ibid.
- 2 Si ambo conjuges infideles convertuntur, possunt, & debent in matrimonio etiam cum impedimento Ecclesiastico contracto permanere.
- 3 Si vir infidelis habuit plures uxores, debet retinere primam, & reliquas dimittere.
- 4 An, & quando conversus alteri nubere possit, si Coniux illius non convertatur? Et n. seq.
- 6 Proles doli incapax Coniugi converso educanda traditur, etsi sit minor triennio. Prolem usque ad triennium mater, post triennium pater aere de Jure debet. Ibid.
- 7 Proles doli capax non potest cogi, ut conversum sequatur. Ad fidem nullus est cogendus invitus. Ibid.

Visto de Conversione Conjugatorum ad Religionem, sequitur praesens Titulus de Conversione Infidelium ad veram fidem Catholicam, de qua etiam cau. 23. q. 1. & 2. item cau. 32. q. 8. cau. un. est

Est autem hic sermo de Infidelibus propriè talibus, id est illis, qui per Baptismum nunquam fuere subiecti Ecclesie, quales sunt Judaei, Pagani, Sacerdotes, Turcae &c. non item Haeretici, licet dici queant Infideles improprie tales. De horum Infidelium Conversione tam Canonice, quam Canones in praesenti, modica tradunt, & non nisi id examinant, quod de Matrimonio, & prolihus eorum in quaestione venire potest. Quod & nos faciemus.

2 Queritur I. Quid Juris de Matrimonio Infidelium, & prolihus eorum, casu quo unus illorum, vel ambo convertuntur ad fidem? An nempe, & quando separari possint, aut debeant? Item cui proles restituenda? Resp. I. Si ambo Coniuges infideles convertuntur ad fidem Catholicam, possint & debent in matrimonio secundu contracto permanere, etsi cum impedimento secundum Canones dirimente contraxerint, textus expressus est in c. Gaudemus. 8. de Divort. & ibi Doctores communiter. Ratio assignatur in c. Gaudemus. videlicet, quia Infideles Constitutio Canonice non ardentur (quid enim ad nos secundum Apostolum de his, qui fori sunt, judicare) in favorem praesertim Christiane Religionis, & Fidei, à cujus perceptione per uxores se deserit timemes viri possunt facile revocari, si tales hujusmodi matrimonialiter copulari licet possunt, & licet manere conjuncti, cum per Sacramentum Baptismi non solvantur conjugia, sed crimina amittuntur.

3 Quod si vir infidelis plures habet uxores, debet caeteris dimissis solum primam retinere, si hæc etiam convertatur, vel saltem pacifice, & sine periculo perversionis cum converso habitare velit, arg. cit. c. Gaudemus, de Divort. & ibi Barbosa n. 11. Engel h. t. n. 1. & DD. communiter. Ratio est; quia citas Polygamia Jure Divino sit prohibita, cum sola prima verum ac validam contractat matrimonium. Hinc etiam Barbosa cum aliis Doctoribus bene infert, quod si prima nec se convertere, nec abque periculo perversionis cum converso habitare velit, non teneatur vir conversus aliquam aliam ex uxoriibus habitis retinere, etsi omnes se converterent, sed possit pro libitu alteri nubere.

4 Resp. II. Si unus tantum ex Coniugibus infidelibus ad fidem convertatur, alter verò in infidelitate permaneat, nec amplius, vel saltem non sine perversionis periculo habitare cum converso velit, potest conversus alteri fideli nubere. Certissima apud omnes, teste Sanchez lib. 7. de Matrim. Disp. 3. & 4. textu claro c. 7. de Divort. ibi: Si alter infidelium Coniugum ad fidem Catholicam convertatur, altero verò nullo modo, vel non sine blasphemia Divini Nominis, vel ut eum pertrahas ad peccatum mortale ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transtent. Advertit tamen bene Engel h. t. n. 2. & alii, quod matrimonium non statim ipso facto dissolvitur, si unus infidelium Coniugum convertitur ad fidem, sed tunc primum, quando conversus ad alias nuptias actu transierit: hinc si alter Coniux adhuc infidelis, antequam conversus cum alia contrahat, ad finem quoque convertatur, huic adherere debet, textu claro c. Gaudemus. 8. de Divort. ibi: Quod si conversus ad fidem, & illa conversa sequatur, antequam propter causas praedictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compellitur, & ibi Glossa v. Compellitur.

5 Utrum autem conversus cum infideli habitare possit, & debeat, vel alteri nubere valeat, casu quo alter Coniux ad fidem se convertere quidem renuit, cum converso verò pacifice, & abque ullo perversionis aut peccati periculo habitare parata est, gravissima est controversia inter Doctores, ut videbitur est apud Sanchez lo. cit. quam controversiam, sicut & reliqua de matrimonio infidelium, nec non Reiffenjuel Jus Can. Tom. III.

haereticorum examinabimus in Lib. 4. Interea.

Resp. III. Si Coniuges infideles habent unam vel plures proles, & unus eorum convertatur ad fidem, eidem, sive pater sive mater sit, restitui debet proles doli adhuc incapax. Sanchez lib. 7. de Matrim. Disp. 37. n. 16. Barbosa in c. fin. h. t. n. 14. cum communi & certa aliorum, textu expresse, can. Judaei. 10. cau. 28. q. 1. & cit. c. fin. h. t. n. 14. ubi inter alias etiam hæc ratio assignatur; quia ita exigit favor Religionis; Nam summa esse rationem, quae pro Religione facit, dicitur l. Sicut persona. ff. de Religiosis. & Sumptibus. Nec refert, an minor vel major sit triennio proles; quia licet aliis attentio Jure proles minor triennio apud matrem, & major triennio apud patrem educari debeat, arg. l. Nec filium. C. de Patria potestate. ubi Glossa propterea illos verficulos ponit.

Mater alit puerum trimum, trimoque minorem: Majorem verò pascere patris erit. Tamen id fallit in casu Conclusionis ob favorem Religionis, uti bene observat Glossa. fin. in cit. c. fin. h. t. Barbosa lo. cit. Sanchez lo. cit. n. 16. & alii.

Dicitur tamen notanter si doli adhuc sit incapax, quia si doli & rationis jam capax est proles, ejus libertati relinquitur, an convertatur, vel infidelem parentem legi velit, uti lo. cit. bene docet Sanchez. Ratio est; quia ad Fidem nullus cogendus est invitus, ut can. Ad fidem. 33. cau. 22. q. 5. dicitur, quod etiam statutum fuit in Concilio Toletano. q. 6. cap. 56. relato, can. de Judaeis. 5. dist. 45. ibi: De Judaeis autem praecipit S. Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri. Ratio subjungitur: Cui enim vult Deus miseretur, & quem vult inducat; non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiae. In dubio tamen, an proles rationis capax sit, pro favore Religionis judicandum, consequenter proles parenti converso restituenda est. Sanchez lo. cit. Sa v. Matrimonium, & alii, quia summa est ratio, quae facit pro Religione, cit. l. Sicut persona. ff. de Relig. & Sumptibus. Nec refert etiam Barbosa lo. cit. n. 11. ex Azorio iniqua, & nefanda esse pacta illa, vel quorum proles masculae patri, matri verò femellae in sua fide educandae relinquantur, etsi sint haeretici. Verum de hoc plura Lib. 4.

TITULUS XXXIV.

De Voto, & Voti Redemptione.

SUMMARIUM.

- 1 De Voto Remissivè.
- 2 Haeres tenetur ad vota defuncti realia.
- 3 Et mixta quoad partem realem.
- 4 Non item ad vota personalia.
- 5 Nisi specialiter ad ea se obliget.
- 6 Pœna heretici debito tempore non solventis vota defuncti.
- 7 Redemptio voti quid, & quomplex?
- 8 Irritatio voti quid, & à quo fieri possit?
- 9 Superiores Regulares irritare possunt subditorum vota omnia.
- 10 Etiam illa, ad quorum violationem aliis Religiosis tenetur.
- 11 Non tamen votum intrandi strictiorem Religionem.
- 12 Parentes, & Tutores irritare possunt omnia vota liberorum, & pupillorum impuberum.
- 13 Etiam post suberitatem, nisi ea puberes facta demò rursuscent.